

PRÆFATIO AD  
LECTOREM.

**D**E artium liberalium ordine, lector, deq; docendi discendiq; progressionē non sine gravi causa queritur à multis. Ut enim ordine quod fit, bene sit, ita quicquid confusum est, infeliciter suscipitur, nec magno caret periculo. Hinc de disciplina, de schola, de ratione studiorum & doctrinæ tam multi eruditorum etiam memoria nostra libri. Quibus omnibus hoc ferè agitur, si quid agitur expectatione dignum, ut persuasum plerisq; sit, artium liberalium primas esse dicendi, postremas quæ de rerum natura quæq; de moribus docēt: mathematicas ita inter medias esse, ut per eas tantum à primis ad ultimas iter detur expeditum. Hanc continuationem cum & veteres & recentiores pleriq; celebrarint, nemo tamen unquam graviore atq; ampliore oratione persuasisse quàm P. Ramus mihi videtur. Cui cum in cæteris omnia assentiantur plerique, tamen in mathesi alius alii placet magister. Sunt qui putent non ut Grammaticam, Rhetoricam, Logicam, sic Arithmeticam quoq; & Geometriam sub assiduo magistro, & ut vulgus loquitur, in classibus perdi-